

59
P

Nuptiis
Dn. MICHAELIS
HOFFMANNI
J. U. Practici

cum
decorata Naturæ, Virtutis & Fortunæ opibus

VIRGINE
AGNETE
NAGELJA,
CRUCIBURGI

2. Augusti 1667.

celebrandis

όλοψύχως

gratulantur

A M I C I.

1018425
BREGÆ, Typis CHRISTOFF TSCHORN.

TOFFMANNE JURI dedite, Te quoque
devinxit arcta compede Virginis,
qui corda devincire vinclis
Conjugii potis est, JEHOVA.

Hæc Virgo honestis orta Parentibus,
Splendente pollens indele corporis,
Virtute fulgens, clara opimis
divitiis Tibi gaudia offert.

Atq; Ista cur non lætitiam Tibi
gignat petitam, cum bona plurima
ostentet, humanis ocellis
ac animis quoque grata valdè?

Cælum renidens agmine siderum,
Tellus aristis plenaque pluribus,
curas repellens intuentes
exhilarare potest potenter.

Conjuncta Virgo hæc conjugio Tibi
& jam Tua Uxor facta potentius
per copiam magnam bonorum
delicias Tibi comparabit:

Si tu modò ista fartâ opibus benè
Uteris. Hoc ut fiat, Amor probus
Te cum Tua Sponsâ illigatum
Contineat sine lite quavis.

1018425



Ut

Ut lætus ædes progenie bona
tuas refertas conspicias, opum
augmenta semper cæterarum
obtineasque reconditarum.

M. JOH. LUCAS.

Gymn. Brig. Professor & Rector.

D. C.

Ad præstantissimum DN. SPONSUM.

Aönidam cultor præstans Hoffmann, bonarum,
Duplicis interpres Juris & actor agens.
Casta Deus mens est velut & vult mente vocari
casta: sic purum hic discipit esse thorum.
Quin casto puroq; colimavult in amore,
Conjugii castus quo force ordo Sacri.
Id quod SPONS A probat tua, qua vult Casta vocari,
& qua vult virgo nomine pura legi.
***AGNES**, nam castam & puram designat, amanda,
Quâ vita mores, quâ decus atq; fidem.
Hac quid, quiso, potest tibi, SPONSE, celebrius esse?
Nam celebras festum, cuius origo patet.
Iura subi quare thalami castissima puri,
Qui Sponsæ totus vincitus amore tuæ es.

[* Beccmanus de Origin. Latin lingvæ p. m. 203. ait: Agnes αγνη à castitate aut puritate morum
dicitur, ἀγνος, οὐ γνωστός ab Hebreo Chagag i.e. sanctificavit, festum celebravit, Chag festum.]

Non, velut Hoffmanni, Sponsa ast flagrabis amore,
Qui quandoq; solent ludere Virginibus.

Sed constans Hoffmannus eris, sociamq; pudicam,
Numine sortitus quam, redamabis ovans.

Hac AGNES solum te complectetur amore
rursus, & hac erit hinc Vita, medela, Salus.

Vita erit hæc quando patrios, cœu Caja, penates
casta domi condet, promet & ista foris.

Quin districtus eris curis? hac certa medela,
Te cupidis ulnis quando prehendet, erit

Deniq; & ista Salus erit, ordine si qua videbis
cingere tunc mensam pignora chara tuam.

Hinc, Hoffmann, tibi tam puram, tamq; pudicam
Gratulor Agneten, quam Cruciberga dedit.

Hâccum Vive diu, veluti persæpe trabalis
perdurat clavus, si benèfixus erit.

Immotuum vinculum clavo sit firmius ipso,
ut Sponsa casta nomen in omen cat.

Ettandem clavus clavum bene trudat amoris:
Conjugii vestris sic bene cedet opus.

ita

lectissimo Sponsorum

pari

gratulatus iudeb,

M. DAVID CAMERARIUS

Ducalis Gymn. Brig.

Con-Rector & Prof.